

quorum evidens testimonium sigillum civitatis praesentibus est appensum. Datum et actum anno domini M°.CCC°.XLII°. feria quarta proxima post dominicam Invocavit.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem an einem von der Urkunde selbst z Th. losgetrennten Pergamentstreifen hängenden beschädigten Stadtsiegel.

No. 103. 1342. 16. Aug.

*Prior Martin und der Convent setzen einzelne Artikel in Betreff der Wirthschaftsverwaltung fest, welche auch der nach erfolgter Resignation des dermaligen Probstes Nicolaus zu erwählende Probst durch Beifügung seines Siegels bestätigen soll.*

In nomine domini amen. Quoniam a divino cultu vitae necessariorum defectus videtur plerosque retrahere, ipsis quoque necessariis competenter habitis quisque poterit deo liberius deservire, perinde ad supplendum quodammodo praebendae nostrae defectum nos Martinus prior totumque capitulum regularium canonicorum monasterii sancti Thomae apostoli in Lypzk discreta consideratione praevia unanimi consensu infra scripta constituere communiter decrevimus et nos omnes et singulos ad ipsorum inviolabilem observantiam concorditer astringimus in his scriptis. Quod videlicet quicumque resignante honorabili viro domino Nycolao nostro pro nunc praeposito dei nutu pro tempore noster fuerit praepositus, duobus ex dominis ad hoc a capitulo constitutis annonam sufficientem ad panem competentemque cervisiam cum humulo, vasis et ceteris ad huiusmodi requisitis annuatim temporibus congruis ministrabit ad habendum in celario conventus pro sua necessitate, quemadmodum antiquitus consuetum fuerat conservationis intuitu melioris. Insuper dominis et pueris conventualibus sicut et praebendariis assaturas singulis diebus dominicis ac festis apostolicis salvis aliis iustitiis erogabit nec non tertiis quintisque feriis dabit de mane duo fercula carniū veluti prius est consuetum, secundis vero et quartis feriis atque sabbatis unum pulmentum et duo ova de vespere dabuntur cuilibet dominorum et pariter puerorum. Ceterum quocienscunque praebendarius recipitur, a pecunia quam contulerit duae sexagenae debebunt cedere conventui ad vestitum, de quolibet autem puero religioni nobiscum se reddente una sexagena cedit conventui et pannus sericus custodiae pro ornatibus augmentandis, hoc nihilominus adiecto, quod praepositus qui pro tempore extiterit de vestitu dominorum aliquod participium non habebit. Praeterea cum aliquis dominorum seu puerorum obierit, dimidia pars lectisterniorum conventui pro hospitibus remanebit, reliquam vero partem ad usum ecclesiae praepositus obtinebit. Item quicumque procurator ecclesiae nostrae pro tempore fuerit, semel in anno vel pluries prout dominis expedire videbitur coram capitulo de bonis ecclesiae computationem debitam observabit. Volentes etiam quod privilegia sigillis praepositi et conventus nostri ex consensu unanimi communita ausu temerario nullatenus infringantur. Ut autem praelibata omnia inviolabiliter perseverent, sigillo nostro nec non honorabilis viri domini Engilberti decani ecclesiae Mersburgensis praesens scriptum procuravimus roborari, ad hoc sane nos unanimiter praesentibus obligantes, quod quicumque